



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

Disc. XXVI. Urbinaten. laudemii. De concordia Urbinatensi, & laudemio in pluribus respectivè casibus pro nova investitura, seu renovatione solvendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

lecos per *Ciroce. discept. 58. Rot. in Casenat. emphyteusis 16. Junii 1651. Albergato, & Melio. dec. 166. & 230. par. II. rec.* & latius in *Romana emphyteusis 8. Februarii 1653. Priolo*, unde cum Josepho filio Christophari ultimo morientis proximiores essent actores nepotes ex sororibus, quam rei conventi, qui erant consobrini, idcirco dicebant pro istis omnino respondendum.

Non negabam ego dictam conclusionem de attendenda proximitate ultimi, non autem primi hodie receptam, tam in hac materia emphyteutica, quam etiam in fideicommissaria ac feudali, ex deductis in *Musimen feudorum de R. Angonia sub tit. de feudis disc. 8.* in qua ego scribens pro eo, cuius intereat spectandam esse personam acquirentis magis quam ultimi morientis, & super quo ceteri pro eo scribentes insistebant, dictam conclusionem admittebam veram, ut ibi; Dupliciter tamen in presenti dicebam tolli obiectum, primo quia non versabamur in casu questionis, qua proinde inanis, ac potius evagatoria remanebat, dum prior investitura adhuc durabat, idcirco non agebatur de concursu ad renovationem ut supra.

Et secundo quia ubi etiam ageretur de concursu ad renovationem, dicta conclusio de attendenda proximitate gravati & non gravantis, seu ultimi & non primi recte procedit, quando successio mutare non debet naturam seu ordinem, secus autem ubi faciendus est transitus de uno personarum genere in alterum, quoniam tunc illa limitatur, atque attendenda est persona gravantis seu acquirentis ex deductis per *Rotam apud Merlin. dec. 520. repetita dec. 519. par. 5. rec. num. 13. & seq.* Licet enim illa limitatio suas patiat sublimitationes & declarationes, de quibus in eadem proxime allegata decisione, & in *Amerina coram Othob. inter suas dec. 21. & 34. & pluries sub tit. de fideicommissis praesertim in Romana fideicommissi de Victoris*, nihilominus in hac facti specie recte videbatur dicta limitatio intrare, quoniam agebatur de corruptenda seu alteranda natura bonorum & concessionis, & sic de faciendo transitum a genere praedicto & capaci ad genus, vel incapax, vel non vocatum, vel solum vocatum subsidiarie, ubi praesertim non urget ratio omnimoda diversitatis linearum ut supra.

Majorem difficultatem inferre videbatur obiectum divisionis mortuo Fabricio acquirente sequitur inter praefatos Joannem Christostomum, & Jo. Franciscum filios ac fratres respective, per quam bona obveniant in Joannem Christostomum, cuius proinde linea spectanda est, quia censetur alterum fratrem, a quo descendebat rei conventi, se effecisse extraneum, unde si vive proximitas regulanda esset a primo, sive ab ultimo, effectus erat idem ex deductis per *Ciroce. dicta discept. 58. num. 29. & sequen.* ubi ad satietatem alios cumulat, & habetur in *Casenat. emphyteusis 15. Martii 1652. coram Melio decis. 120. par. II. rec. num. 19. cum sequentibus.* & pluries advenit hoc eodem tit.

Quando emphyteusis fuisset haereditaria, seu alia alienabilis, ita ut successores, praedecessoris dividendi factum impugnare non possent, vel quod etiam in casu pacti & providentiae divisio contineret promissionem evictiois, atque successores ob haereditariam qualitatem promittentis tenerentur sui actoris factum ratum habere etiam in iuris ex persona propria competentibus, juxta magis communem ac hodie receptam opinionem; Tunc reflectendo ad veritatem, difficultas fuisset nimium considerabilis, quonia ita intraret ex facto partium distinctio linearum, & successivè conclusio, quod foeminae vel *Card. de Luc. de Emphyteusi par. II.*

gnati lineae admittat preferuntur masculis & agnatis alterius lineae excludat, vel subsidiarie vocatae & in his terminis procedit dicta dec. 230. par. II. Verum difficultas tollebat ex eo quod ageretur de investitura pacti, & providentiae, in qua, adhuc in istis durante praefati fratres dividentes, qui non erant primi acquirentes non potuerant dividendo praedicare successores ab ipsa investitura vocatis, dum per actores non docebatur de qualitate haereditaria, quae alias grave obstaculum praestare poruisset.

VRBINATEN.

LAUDEMII

PRO

HEREDITATE CICOGNINA

CVM

ARCHIEPISCOPO.

Discursus pro veritate in benevolenti congressu habito ad tractandam concordiam sequuntur.

De concordia Urbinatensi, & laudemio in pluribus respectivè casibus pro nova investitura seu renovatione solvendo.

S V M M A R I V M.

- 1 De concordia Urbinatensi, quid contineat.
- 2 Facti series.
- 3 Agens ad devolutionem ob lineam finitam, debet istam probare conclusenter.
- 4 Iusta causa excusat a caducitate.
- 5 Contra haereditatem jacentem an currat praescriptio.
- 6 Adversus praescriptionem ex capite ignorantiae datur restitutio in integrum.
- 7 Ad incurrendam poenam requirunt scientia & malitia.
- 8 An duplicatum Laudemium ob peritiam renovationem non factam in tempore sit poena.
- 9 In pacto resolutivo non datur purgatio morae.
- 10 De differentia inter poenam & conditionem.
- 11 De duplicato relevio solvendo in feudis.

DISC. XXVI.



Et concordiam initam inter Episcopum & Capitulum Urbini ex una, & Commune illius Civitatis ex altera, bona emphyteutica de illius Ecclesiae directo dominio adinstar allodialium quodammodo redacta videntur, dum conventum est licere emphyteutae, cuicumque extraneo vendere, donare, in dotem dare, & quolibet alio titulo alienare inter vivos, petita solum licet non obtenta licentia, atque illi, in quorum personis lineae seu concessionis expirarent, possint pariter petita quamvis non obtenta licentia in testamento, & qualibet alia ultima voluntate, tam titulo universalis, quam particulari de illis disponere, tamen ea lege, ut illi, in quos

F

vel

vel inter vivos, vel per ultimam voluntatem, ut supra dispositum fuerit, teneantur infra duos menses solvere laudemium seu recognitionem ad rationem quinque pro centenario, dictaque solutione infra præfinitum tempus non facta, fieri debeat duplicata ad rationem decem,

Ubi verò bona devolvantur per lineam finitam nulla facta dispositione, fieri debeat renovatio illis, qui ab intestato, vel ex testamento succederent personæ; per cuius mortem factus est casus devolutionis, cum ea distinctione ut à liberis solvi debeat laudemium ad rationem decem pro centenario, à fratribus verò & fororibus, eorumque filiis ad rationem 27. cum dimidio, ab aliis verò quibuscumque ad rationem 55.

Cum autem Franciscus Cogninus de anno 1652. 2. emisset sub hasta quamdam domum emphyteuticam possessam per Bernardinum Fatium, atque per procuratorem ab Archiepiscopo domino directo, soluto duplicato laudemio ad rationem decem pro centenario ob petitionem in tempore non factam, obtinisset investituram sub formula, ut non posset vendere, nec alienare sine licentia, & ad formam sub pœnis iuris & capitulorum; Dicitur autem Franciscus decedens instituisse Communitatem Civitatis Pratenfis eius patriæ, & Societatem Jesu hæredes in solidum ad effectum inibi fundandi Collegium eiusdem Societatis, aliaque pietatis opera exercendi; Hæreditate adhuc non adita, & elapso termino duorum mensium post eius mortem, orta est extrajudicialis controversia cum Archiepiscopo super laudemio pro renovatione dictæ domus sibi solvendo, quod prætendebatur deberi ad rationem scutorum 55. ex eo quod ageretur de hærede extraneo. Cumque ex parte P. Generalis Societatis Jesu, deluper pro veritate consultus esset, deindeque benevolus congressus cum ipsomet Archiepiscopo eiusque Advocatus habitus esset, conclusum fuit huiusmodi prætensionem nullam penitus habere substantiam, ut potè extra casum, in quo concordia dictam maiorem taxam præscribit, quodque sola controversia caderet an intraret pœnalis solutio duplicati laudemii in casu factæ dispositionis ob investituram in tempore non petitam, & sic an ad quinque vel ad decem, quæ differentia cum quodam honesto temperamento concorditer terminata fuit.

Duo siquidem iuxta præmissam seriem sunt dictæ transactionis capitula separata, quorum unum cum altero connexionem non habet, Unum scilicet renovationis faciendæ testato vel intestato hæredi post lineam finitam, ac factum casum devolutionis, absque eo quod ultimo moriens inter vivos vel per ultimam voluntatem disposuerit, & tunc intrat laudemium in dicta maiori summa, scutorum 55. per extraneam hæredem solvendum; Alterum verò ubi investitura durante, alienatio seu alia dispositio facta sit, & tunc intrat laudemium in longè minori summa scutorum quinque sub sola pœna duplicationis non facta petitione in tempore ut supra.

Aut igitur Archiepiscopus prætendebat esse in primo casu, & suum onus erat probare finem lineæ, ob quem factus esset casus devolutionis, ex vera & recepta propositione, quod dominus agens ad devolutionem ob lineam finitam tenetur docere de investitura, neenon de fine lineæ seu generationis plenè & concludenter tanquam fundamentum intentionis, ut per Cavaler. dec. 344. & 558. & frequenter, cum sit propositio recepta ut alibi hoc eodem tit.

Etnihilominus etiam isto casu ob alias additiones & reformationes dicta maior summa scutorum 55. moderata est ac reducta ad medietatem, sub conditione tamen petendi renovationem & solvendi in-

fra decem dies, undè intraret eadem inspectio, de qua infra, num scilicet ista duplicatio esset pœnalis, seu aliàs talis, quod justum impedimentum excusaret aut in integrum restitutionem aperiret.

Sed quia videbatur esse in altero casu solutionis scutorum quinque, solumque proindè intrabat inspectio duplicationis ob non petitam renovationem infra duos menses, idcirco in hoc discurrens more Advocati ad partis opportunitatem deducebam ea quæ in hac materia emphyteutica habemus circa implementum non sequutum in tempore à jure communi vel particulari præfinito, ob quod caducitas seu alia pœna incurrat ut justa causa seu justum impedimentum excuset, ex deductis decif. 73. par. 10. rec. 119. par. 6. 257. par. 11. & habetur in Romana devolutionis domus pro Collegio Neophitorum disc. 41. & in alia Romana domus de Bonocanis hoc tit. disc. 42. & quæ justa causa non deficiebat, Tum quia agebatur de Ecclesia seu causa pia jure pupilli seu minoris regulanda, ex deductis per Tirraguelli. de privi. pie cause cap. 142. ubi ad dotes, & passim; Vel quia hæreditas adhuc jaceret, ideoque intra hæreditatem jacentem non currit tempus, vel si currit intrat restitutio ex eadem ratione, ob quam id habemus in præscriptione ex deductis per Rovit. dec. 41. nu. 2. cum seqq. de Marin. resol. 164. lib. 1. apud quos habentur concordantes, ac etiam declarationes conclusionis; Vel demum quod adesset absq; dubio justa & probabilis ignorantia, cujus ratione receptum habemus dari restitutionem in integrum adversus præscriptionem, seu alium lapsum temporis ex deductis per Thos. dec. 133. & seq. Capyc. Latr. consule. 6. Buratt. dec. 456. n. 2. Onub. dec. 156. & sæpius ubi ignorantia est justa.

Ac ulterius deducebam ea, quæ habemus apud Otthob. decif. 110. num. 13. & frequenter in materia fideicommissaria, quod in pœnalibus, ac pro incurtu pœnæ requiratur scientia certa & positiva redolens quamdam speciem malitiæ, ut pluries in sua materia sub tit. de fideicommissis; Necnon ea, quæ habemus de pœna conventionali ex canonica æquitate, non exigenda ultra id quod interest cum similibus.

Quamvis autem hæc discurrem more Advocati, interveniens parti, suaque jura tuentis, ad finem tamen facilitandi concordiam, istam administrationibus hæreditatis libenter consuli, ob difficultatem quam sentiebam, eis liberè juxta stylum insinuatam, quoniam mihi videbatur, verè & propriè non versari in terminis pœnæ exigentis quamdam speciem delicti à quo justa causa justumque impedimentum sive ignorantia excusant, ut supra, sed potius versari in terminis conditionis vel modi, sub quo remittitur illud majus laudemium, quod aliàs de iure exigi posset, undè propterea esset resolutio illius condonationis, seu remissionis, quæ aliàs sub hac lege fieri dicitur ad text. in l. pecunia senecris ff. de usur. ex quo inferitur ad illas conventiones, quæ super ecclesiasticis pensionibus inter titulos & pensionarios fieri solent super reductione pensionis ad minorem summam, sub lege punctualis solutionis quodam statuto termino juxta decisionem 528 Buratti cum ibi deduct. ac etiam inferitur ad materiam cambiorum, quæ ad certam summam sub tali conditione limitari solent, quoniam non est pœna sed conditio, ut advertitur in sua materia sub tit. de cambiis præsertim in Romana cambiorum de Ludovissis seu Sportiis cum similibus; Et ex qua ratione resultat in pœnis resolutivis non intrare purgationem moræ ex deductis per Gregor. Adden. decif. 559. Adden. ad Buratt. dec. 896. dec. 203. n. 19. & 20. par. 6. rec. quia non est pœna sed conditio seu declaratio voluntatis, sub qua illa condonatio seu aliud

aliud beneficium fiat, ita resolvendum ob voluntatem aliam non faciendi.

Atque hinc cessare videbantur supradicta percutientia caducitatem, utpotè formalem poenam consistentem in amissione juris proprii & quasi praesentis depauperationem ac proprii patrimonii diminutionem juxta distinctionem, quam ex consilio *Oltradi* magis communiter receptam habemus in materia conditionis adjectæ matrimonio, quod aliud sit poena inducens privationem rei propriæ seu alienæ jam quæsitæ & incorporatæ, aliud verò est conditio se opponens principio acquisitionis, ac impediens jus quærendum, sive inducens qualitatem, sine qua emolumentum obtineri non possit, ut pluries in tua materia *sub tit. de matrimonio. Et sub tit. de dote, ac etiam sub tit. de fideicommissis in Bononien. fideicommissi de Guidottis.*

Augebat mihi difficultatem consimilis observantia circa relevium, quod in utriusque Siciliae Regnis, in mortuo feudatario solvitur per successorem pro illa implicita renovatione, quæ juxta leges feudales intra annum, & diei perenda esset sub poena caducitatis, quoniam ubi intra dictum terminum non sequatur solutio consuevit levii consistentis in medietate fructuum illius anni, intrat duplicatio hujusmodi excusationibus non admittis, ut habetur in *Campanien. relevii sub tit. de feudis disc. 28. po. 11* simè in hac facti specie, dum Ecclesia ex jure dispositione volens, poterat persistere in rigore legis seu formulæ investituræ, ac etiam in casu devolutionis nolle renovare, sed pro se retinere, ideoque si per hujusmodi transactionem, ita concessionis natura ac juris dispositio alterata est, reducendo in Ecclesiæ dominæ directæ præjudicium hujusmodi bona emphyteutica adinstar naturæ allodialium, justum est, ut conventio ita qualificata locum habeat cum sua causa, quodque dicta ipsa Ecclesia ob istam conventionem juris beneficia & dispositiones pro se allegare non potest, neque sibi nocent ac majus præjudicium augeant; Discurrebam tamen hæc omnia apud memet ipsum in ratione dubitandi, & pro motivo consulendi concors temperamentum, potissimè dum controversia percutiebat modicam summam, quæ non merebatur hujusmodi disputationum experimentum, ideoque maturum iudicium pro veritate desuper affirmari non potuit, neque occasio præbuit id formiter disputandi.

NONANTVLANA

P R O

MONASTERIO S. SILVESTRI

NONANTULÆ.

Responsum in paribus, juxta quod fuit obrentum.

De qualitate bonorum emphyteuticorum Abbatæ Nonantulanæ, & quatenus sint hæreditaria, & ad extraneos transitoria, an transire possint in Ecclesias, Monasteria, Capitula, vel alias manus mortuas, Monasterium, an succedat in bonis emphyteuticis ex persona Monachi qui *Card. de Luc. de Emphyteusi part. 11.*

fit de comprehensis in investitura, saltem ipsius Monachi vita durante.

S V M M A R I V M.

- 1 *Casu controversia.*
- 2 *Emphyteusis Nonantula est ex consuetudine hæreditaria.*
- 3 *An Capitulum vel Collegium Ecclesiasticum dicatur persona Venerabilis & major.*
- 4 *Ubi ultra prohibitionem legis accedit etiam prohibitio hominis, ne bona transeant ad Ecclesiam, res solvat incapuas etiam ad effectum acquirendi.*
- 5 *An Monasterium succedat in emphyteusi ex persona Monachi.*

DISC. XXVII.



UM ob finitam lineam, Monasterium Nonantulae ageret ad vendicationem quorundam bonorum de ejus directo dominio, quæ vel per alienationem inter vivos, vel iure legati ab aliquo ex emphyteutis repenebantur penes Capitulum illius collegiatæ, atque ex dicta linea esset superstes quidam Religiosus professus de Religione capaci in communi, orta est triangularis questio, præterente Capitulo possessoro, hujusmodi emphyteusim, utpotè ex clausula *ad habendum*, & fortius ex consuetudine, hæreditariam, & liberæ dispositionis, rectè in eum potuisse alienari; E converso autem præterente Monasterio, in quo vivebat dictus Religiosus superstes, ut ubi etiam alienatio fieri non potuisset in Capitulum; adhuc bona controversa per ipsum ex persona dicti Religiosi in investitura comprehensi spectarent, ac nostro Monasterio Domino directo præterente devolutionem; Assumptaque proinde disputatione coram Vicario Abbatis, ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem habentis.

Pro Monasterio agente ad devolutionem scribens, quatenus pertinet ad Capitulum reum & possessorem, licet actoris defensoris in partibus, insisterent super regulari natura emphyteusis ecclesiasticæ restrictæ ad solos hæredes sanguinis, non autem transitoria ad extraneos, præsertim dum investituræ formula ita etiam suadebat; Nihilominus pro veritate dicebam hoc motivum non esse tutum, quia ex consuetudine, coadiuvata etiam à clausulis in consuetæ investituræ formulæ contentis, istam emphyteusim esse hæreditariam & transitoriam ad extraneos firmatur in specie *decis. 294. par. 2. recbn. repetita par. 3. decis. 286.*

Undè pro Capituli exclusione dicebam, solidum motivum consistere in prohibitionem contenta in eadem investitura, ut bona alienari possint venerabili loco, vel majori persone, quæ qualitas conveniebat Capitulo, venienti indubitanter sub nomine loci venerabilis, ac probabiliter etiam sub alio nomine maioris personæ. Cum enim regulariter in bonis emphyteuticis adsit prohibitio legis, ne transire valeant ad manus mortuas, quoties cum dicta prohibitionem legis, concurrat etiam prohibitio hominis, tunc cessat facultas, quæ manui mortuæ conceditur retinendi per annum ad effectum alienandi, ac etiam præterentio, quæ modèno tempore irrepit retinendi, oblata solutione quindenniorum in compensationem laudemiorum, ob quorum cessantem rationem, in emphyteuti quavis perpetua, & hæreditaria inducta est dictæ manus mortuæ.